


Queruntur. — At. Iam tacebunt; nam illi miseri nos amant.  
 O quam maestum regnabit in domo nostra silentium,  
 Taciturnitas, solitudo! audietur nulla vox,  
 Donec tacitae querelae discindant gnatorum pectora.  
 RE. Amor maternus in tuis flagrat praecordiis;  
 Ad hanc animos illi calidam flammat calsificant.  
 Vivont illi, tu tota desolata non manes;  
 Illi te consolabuntur, tu illos solaberis.  
 Remitte iam dolorem, Atilia. Iam enim satis diu  
 Coniunctis dextris in vitae salebrosis viis  
 Peregrinati sumus; paulisper modo discedit via;  
 Confirma te, russum nos inter nos videbimus.  
 AT. Mox, spero. — RE. Forti igitur animo labore, quem dii  
 Nobis adpenderunt, faciamus, dum hic vivimus;  
 Nam post breve proelium perlonga sequetur quies.  
 AT. Eheu, Regule, tamen parum novisti cor meum,  
 Ut a te me revolsam vivere posse censeas?  
 Mea tuae vitast inserta, per te solum vitam colo.  
 Iam pridem abierunt ista tranquilla tempora,  
 Quom satis ego mihi met fui, quom meus virginis  
 Animus libertate fruebatur propria,  
 Quom me decrevi Vestae devovere. Sed ista iam  
 Abierunt; res aliter voluere deorum numina.  
 Raro te, quem omnes laudabant Romani, videre poteram.  
 Decolavit mea mihi superbia, mei sensus occidit.  
 Videbar esse mihi pusilla, modo prope te mei  
 Animi sublimitatem sentiebam. Non his vinculis,  
 Citissime quae dissolvuntur paenitentia,  
 Sed quae mors solveret, volebam ad te alligari.  
 At tu ipse haec scindis sancta vincula. Cave istuc feceris.  
 RE. Frustra quisquam cum fortuna luctari nititur,  
 Quae vinci non potest; redire debeo, fidem dedi.  
 AT. Etiam mihi spondisti. — RE. Iurando iure voveram.  
 AT. Benest. Vetustioris te iuris iurandi admoneo.  
 Testor te, Iuno. — RE. Scio, quo iurarim me deditum fore;  
 Ut Romanus Atiliae et ut Regulus illi feminae,  
 Quoius animus ipsi par esset. Spero, me intellegis.  
 Si hic maneo, suas Karthago recuperabit copias,  
 Cives multi ante tempus migrabunt in Tartara.  
 Etiannum me retines? Non ita nobis Iuno adluxerat,  
 Non sic Hecate diram nobis praetulit facem.  
 Si olim iam gnatos puderet patrii nominis,  
 Quod illos aliter superbos faciet, officium meum  
 Utique a te vocat. Dic, num se res aliter habent?

(Ad proximum numerum)

# ALMA ROMA

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

*Pauca exemplaria supersunt*

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Octobri MCMXXXVII

Fasc. X



# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequahs; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad Iosephum Fornari doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

### DE RECTA IURUM COMPARANDORUM RATIONE<sup>1</sup>

1. Omnes equidem adhibere vellem linguas, quo aptius attingerem singulos diversarum civitatum amicos singulisque pandarem meae benevolentiae sensus, admirationis et grati animi. Quos grati animi sensus cumprimis ad supremos dirigam huius nobilissimae Hollandicae civitatis et Hagensis urbis magistratus, qui tantis honoribus nos cumularunt per sollentes suos administros et veluti legatos: tum ad moderatores omnes huius nobilissimae « Academiae internationalis », qui tam alacri studio curarunt ut alter quoque hic congressus optimos sortiretur effectus; tum denique ad omnes plane peritissimos omnium gentium viros, qui conspirantibus animis tam uberes diuturni insomnisque laboris fructus huc attulerunt quasi in commune et domesticum quoddam humani generis patrimonium.

2. Sed eo arctiore, si fieri potest, grati animi vinculo memet obligatum sentio,

<sup>1</sup> Oratio, quam SYLVIO ROMANI noster ad « Secundi Congressus Internationalis iuribus comparandis » conclusivam sessionem habebat Hagae die XI superioris mensis augusti.

atque in aevum sentiam, erga huius internationalis Instituti moderatores ob insiginem honorem quo heic hodie me cumulatum video, sedendi hoc loco, nullis licet meis meritis, et vos, peritissimi viri, in hac conclusiva sessione alloquendi, hac ipsa lingua omnium communi et veluti materna, qua nos quotidie docet iurisprudentia romana, qua Irnerius et Accursius et Bartolus et Baldus et Cuiacius et Donellus et hac ipsa in hollandica terra Grotius et Voettius uterque, aliisque permulti ad recentiora usque tempora, qua hodie quoque Ecclesia docet et iubet et monet et hortatur et enutrifit et orat ubique terrarum.

3. Tantum autem honorem non mihi facio esse tributum, sed pontificis institutis quibus me totum dedi; quae sunt Pontificium Institutum Utriusque Iuris, Pontificium Athenaeum a Propaganda Fide, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal; quorum primum est clarissima illa universitas iuridica pontificia quam singulariter plane dixerim in genere suo, quippe quae una cum canonico cetera quoque excolit omnia iura, tum historica cum vigenzia, et heic adest praesens per nostrum clarissimum Roberti, decanum. Athenaeum a Propaganda Fide alumnos excipit undique terrarum bina facultate philosophica

ac theologica, ubi et iuris canonici, ideoque et civilium, institutiones traduntur Europae, Asiae, Africae, Americae, Oceaniae; uberrimus equidem campus, cui exarando alumni alacri animo incumbunt una cum magistro. Supremum denique Tribunal Signaturae Apostolicae causas excipit undique gentium in gradu supremo et merito dici potest «Cassatio» universi orbis terrarum, quod est supremum iurisdictionis organum pro omnibus populis.

4. Non igitur purum animi gaudium neque mera discendi nativa cupiditas, quae nobis omnibus inest quasi Dei donum, sed ineluctabilis quaedam necessitas ususque meae vitae vehementius in dies me impellunt ad iura ipsa novissima cotidie exploranda, quibus hisce nostris diebus populi reguntur ubique gentium, et interdum veluti ad ea divinanda quibus iam iam regentur: siquidem et in utraque universitate id postulant alumni omne genus, et in tribunalibus ecclesiasticis causae agitantur non modo matrimoniales quae dicuntur, sed etiam patrimoniales et personales, in quibus saltem pars conventa sit persona ecclesiastica; quibus in patrimonialibus et personalibus causis latissime in ecclesiastico quoque foro obtinet ius civile vigens proprium loci aut personae.

Iam facile intelligitis quantopere ipse debeam, mei quoque ipsius ob causam, gratus ei esse, qui suaviter me invitavit et allexit atque fortiter instans me ad hunc attraxit nobilem sapientum omnigenorum coetum, ubi illustres magistri in universis utriusque iuris disciplinis tam nobilia mihi suppeditarunt tamque copiosa compendia; quae mihi profutura confido et in schola et in foro.

5. Scilicet consideranti mihi quaestiones propositas longeque lateque docteque disputatas cumprimis animum perculit atque percellit «integralitas», uti hodie dicimus,

quo heic accipitur, idque iure meritoque, ius comparatum; ius inquam utrumque, canonum et civile, publicum et privatum, nationale quod vocant et internationale; neque ius vigens dumtaxat exploratur, sed fontes ipsi tum historici cum rationales; id proculdubio laudi est huic amplissimae Academiae eiusque moderatoribus, quippe quod in his adesse manifestat eam rerum amplam integrumque visionem, sine qua ius comparatum in tenebris errat nec synthesin componere ullam potest; illum ostendit adesse rerum concretarum sensum, sine quo ius comparatum aera verberat, nec nostra interest quidquam ad usum vitae.

Id, proh dolor, accidit non paucis viris, ceteroquin claris omniq[ue] aestimatione dignis, qui frustra sperarunt aliquid posse proficere et forte profecisse eo quod prope certos quosdam sui codicis articulos alieni quosdam adiecerint. Id autem satis profecto non est ad veri nominis scientiam iuris comparati; quae id cumprimis desiderat, ut multiplicita iuris elementa, quae vivunt apud varios populos, harmonice componantur et exprimantur sub lumine principii certi cuiusdam dominantis. Nec dixerit quisquam deesse plane eiusmodi principia; is enim negaverit scientiam, fugerit seipsum, negaverit hoc implacabile gaudium et desiderium, quod eo magis ardet et urit quo amplius pateant, quo altius descendant nostrae explorations; desiderium inexplibile, dicam cum italico atque universalis poeta Dante Alighiero,

*che intendere non può chi non lo prova.*

6. Neque satis est, dicam plane quod sentio, ad scientiam iuris comparati explorare, ut mos est quorundam, novissima dumtaxat iura civilia, neglectis plane eorumdem et origine et vicibus; quibus ignoratis, nescio quomodo iura novissima nobis possint satis videri explorata. Itaque somniare fere videntur qui ius comparatum excolant sine historia iuris, neglectis iuri-

bus quae historica appellamus: quam eamdem ob causam iure meritoque gratulor moderantibus hanc Academiam, quod neque historicas neque philosophicas neglexerint quaestiones, quae ad ius spectant in universum.

7. Ecquis enim dixerit ita scientiam iuris comparati invadere in alienas provincias? Minime sane, sed ex omnibus id haurire debet quod certius sit atque sibi necessarium; quod non admodum arduum erit, si heic quoque adhaerebimus rerum veritati in concreto; et rerum veritas haec est, quod capita veluti summa sunt diffusio iuris romanis per universum orbem atque diffusio iuris canonici; dixi capita summa, non universa, quia una simul alia quoque, eademque bene multa, nobis sunt attendenda.

Ius enim romanum, equidem evolutum, emendatum, auctum plurium saeculorum iurisprudentia atque doctrina, vivit, plus minusve manifeste, omnibus in iuribus vigentibus, non in iis modo quae neolatina appellamus in Europa, Asia, Africa et America; non modo in iis quae germanica vulgo dicuntur, sed etiam in Angliae et Americae septentrionalis iuribus; quod tam aperte ostendit clarissimum Blakstonii opus, quod et nuper audivimus, renovato veluti animi gaudio, a peritissimis viris hoc in ipso congressu confirmatum.

8. Evidem eiusmodi ius romanum de quo loquimur non est quiritarium ius ipsum, neque classicum, sed ius usibus vitae emendatum et accommodatum, novoque veluti fermento ad novam vitam enectum per viginti ferme saecula historiae christiana. Non enim vita iuri servit, sed lex vitae, ut verbis utar quibus clarissimus iustitiae Minister nederlandicus nos primum est allocutus. Quamobrem qui honeste sincereque dat iuribus comparandis operam, is ignorare non potest Ecclesiam Christi, quae viginti iam saecula vi-

vit ac operatur inter homines, dynamismo, uti aiunt, quodam invicto, ubique terrarum; is ignorare non potest ius quo Ecclesia gentes universas excoluit, dudumque excolit ac regit ad vitam.

Id quoque probe animadverterunt rectores huius internationalis instituti, qui propositis quaestionibus constitutaque sectione iuris canonici optime meriti sunt de scientia iuris universi, cumprimis iuris comparati.

9. Non enim vos praeterit, humanissimi viri, Ecclesiam non nocuisse iuri romano, quod et servavit et nova quasi vita fovit, ad novissima usque tempora; atque cum demum romanum ius varia mensura variaque veste in novos absorberetur codices, canonicum supervixisse ex integro ubique, aptum ad nova quaeque, divitiis plurium saeculorum auctum.

10. Oportet nos sistere nonnihil tantum admiratos monumentum aere perennius, quod est ius Ecclesiae, diuturnissimum omnium quae hodie vigent atque foecundissimum, vereque ius universale; id nos allicit superhumana quadam vi atque virtute; nos accedere oportet ad monumenta huius iuris vere immortalis, quod abhinc viginti saecula vitam regit «realem», ut aiunt, nostram et reget in aevum, semper vivum, semper novum; inde ab Evangelii et scriptis apostolicis ad novissimas usque litteras encyclicas Pii Papae XI, in quibus cordatores viri ubique terrarum avide querunt verba vitae, quibus etiam religione dissidentes plausurunt, nec immerito, et dudum plaudunt: exploranda nobis sunt canonici iuris collectiones, quae tum in oriente cum in occidente floruerunt, usque ad Gratianum, qui veluti digestum canonici iuris, immane equidem opus, nobis dedit, quem Irnerius et Glossatores corpus iuris civilis ad lucem novam e tenebris evocabant.

Eadem lux binas salutat novas auroras, iuris civilis et iuris canonici, aut forte rectius unam, utriusque iuris auroram pro universo orbe terrarum: tum renovato quodam fervore ecce novae Pontificum constitutiones, ecce novorum ubique conciliorum canones et decreta; ecce novae collections, atque, omnium amplissima, « Decretales » Gregorii IX, quae non imerito habita fuit quasi loco Codicis in iure canonico; et sicut in iure civili erant novellae, ita veluti novellarum loco in corpore iuris canonici exstiterunt Liber Sextus Bonifacii VIII, quem nescio utrum maximum appellem inter Pontifices an maximum vere inter sui temporis iuris peritos; neque clausum est « Corpus iuris canonici » antequam accederent « Extravagantes Iohannis XXII » et « Extravagantes communes ».

11. Quum autem a saeculo XIV renasci viderentur litterae, artes, cultus denique omne genus et, novis detectis terris, commercia hominum vividius florescere, quum que novi usus vitae novas exposcerent iuris ordinationes, en Concilium Tridentinum, quod iuri Ecclesiae novas aperit vias; atque dum Bartolus et Baldus et Cuiacius et Donellus et Grotius et eterque Voettius romanum ius flectunt et aptant ad nova vitae commoda, en Fagnanus et Pirhing et Lambertini uti gigantes eminent eodem titulo in iure canonico; en De Luca cardinalis, qui in utroque iure pariter summus, immani, titanico quodam nisu iuridicum saeculorum omnium patrimonium veluti renovatum committit saeculis futuris.

12. At vero saeculum XVIII nova secum fert germina vitae tum privatae cum publicae, civilis, et internationalis; undique expetitur ut nova sint omnia; ius internationale adolescit in dies. Tum quidam censem et praedicant delenda esse iura omnia historica et insistendum in uno iure na-

turae; alii fugandum esse veluti somnum ius naturae et insistendum esse uni iuri historico; nec vitata hinc inde extrema; sed vitae usus, fortior omnibus disputationibus, medius sua via incessit, novique codices editi sunt atque eduntur in dies; non ita quidem ut omnia sint plane vetera aut plane nova; sed, ita ut vetera emendata novis rebus consulant apte; idque licet fere omnes codices initio protestentur vetera omnia obsoleuisse plane.

13. Itaque sapientius Ecclesia quum censuit suas quoque leges esse novis rebus aptandas saltem exteriore forma, suum *Codicem iuris canonici* digessit ad rationem novorum codicum civilium, sed id monuit in eiusdem codicis canonibus praeliminariis, ius vetus non esse plane deletum sed retentum, quamvis emendatum et auctum.

Adeo Ecclesia adhaeret usui vitae! Quin etiam ulterius progressa est, nam quod ad obligationes et ad alias certas quasdam res, recepit plane iura vigentia eis locis de quibus agitur, equidem servato iure naturali, divino et canonico. Ita, anno 1917, dum civitates studiis abreptae et praeiudiciis « nationalisticis » quae dicuntur, quaeque confundenda non sunt cum sacro suae patriae amore, aliae alias repellunt et opprimere cupiunt, Ecclesia suo Codice excipit omnium civitatum iura et per os sui Pontificis, Benedicti XV, quem honoris causa heic liceat commemorare, monet nationes nunquam suffocari restinguive posse, nunquam esse morituras.

Quanti in sociali quoque et internationali ordine haec intersit receptio iuris civilis in ius canonicum, forte haud satis explorarunt studiosi iuris canonici et iuris internationalis privati, quod dicunt; neque ipse heic longe lateque disserere possum; satis sit innuisse. Atque innendum erat, ut ostenderem quantopere gratus sim diuinæ Providentiae, quod occasionem mihi præbuerit non modo hisce sapientum co-

mitiis adsistendi, sed etiam rursus praedicandi officium esse hodie atque necessitatem, ad canonicum ius ipsum, callere iura civilia: necessarium esse ad ius civile, et cumprimis ad ius comparatum, non ignorare ius canonicum.

14. Gratulor igitur toto animo omnibus qui huic tam amplae Academiae praesunt, qui hunc alterum internationalem congressum adpararunt, qui studia undique contulerunt operamque sollerter dederunt ut tam uberes tamque nobiles comitium sortiretur effectus. Sed gratulationibus atque gratiarum actioni liceat addere votum, quod non semel expressi, quodque nunc ex animo prorumpit veluti renovata fide: Faxit Deus ut haec studia atque hi concessus, in quibus omnium gentium peritissimi viri atque electissimi animi nobili conspiratione contendunt ut alii alios plenius cognoscent, ut tam multa eademque varia instituta iuris amice componerent; faxit Deus ut haec studia efficaciter vias sternant eo ampliores, eo faciliores, eo tutiores, quibus populi et cumprimis rectores populorum tandem gradiantur ad concordiam inter se et cum Ecclesia fovendam, ad fraternalm, iustum, firmam unitatem et pacem religiosam et politicam, privatam et publicam, in familia, in civitate, in gentium consortione. Denique id velim ne animis excidat unquam, sic transeundum esse per bona temporalia ut non amittamus aeterna.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De pronomine relativo.

a) Relativum *qui*, *quae*, *quod* coniunctivum regit, quum adiunctum seu circumstantiam denotat.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

EXEMPLA: Homo iustus nihil cuipiam quod in se transferat, detrahit (CIC.) — Populus sibi tribunos plebis creavit, per quos contra senatum et consules tutus esse posset (EUTR.) — Mittuntur legati qui Antonio nuntient, ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur (CIC.) — Qui-dam ignes quos aggeribus iniicerent, affreabant (TIT. LIV.) — Me, qui ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus complexus est (CIC.) — Tarquinio quid impudentius, qui bellum gereret cum iis qui eius non tulerant superbiam? (CIC.) — Uter nostrum est cupidior dicti? Egone, qui quod dici potuit non dixerim; an tu, qui etiam ipse in te dixeris? (CIC.) — Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile paeconium patiatur (CIC.) — Cicero, qui omnes superiores dies milites in castris continuisset, quinque cohortes frumentatum mittit (CAES.) — Cicero genitus videtur, in quo totas vires suas eloquentia experiret (QUINT.) — Ego sum nobilibus adolescentibus expositum caput, in quod mucrones acuant (SEN.) — Nemo tam immanis est, cuius mentem non imbuerit deorum opinio (CIC.) — Me miserum, qui non adfuerim! (CIC.) — Inveni neminem, qui mihi non assentiretur (CIC.) — Non is sum qui mortis periculo terrear (CAES.) — In Miltiade erat summa humanitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret (CORN. NEP.) — Messanam sibi Verres urbem delegerat, quam haberet adiutricem scelerum, furorum receptricem, flagitorum omnium sociam (CIC., Verr., V, 62) — Deus homini addidit rationem qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur (CIC., Nat. deor., II, 12) — Senex serit arbores quae alteri saeculo prosint (CAECIL., Syneph., 2) — Aristoteles rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui

hunc Alexandro filio doctorem accierit, *a quo* (= ut ab eo) eodem et agendi accipere praexcepta, et loquendi (CIC.).

b) Relativum quod ponitur initio sententiae saepe locum tenet demonstrativi correlativi cum coniunctione.

**EXEMPLA:** Obsistere Agesilao conati sunt Athenienses et Boeoti ceterique eorum socii apud Coroneam; *quos* omnes gravi praelio vicit (CORN. NEP.) — Virtus est una altissimis defixa radicibus; *quae* nunquam ulla vi labefactari potest (CIC.) — Ex *quo* quidem libro, *quod* inter nos liceat dicere, millesimam partem vix intelligo (CIC.) — Nuntiatum est mihi C. Fannium decessisse: *qui* nuntius me gravi dolore confudit (P. I.) — Sophocles ob oculos versabatur: *quem* scis quam admirer quamque ab eo delecter (CIC.) — Dominus navis Ephesum pervenit ibique Themistoclem exponit: *cui* ille pro meritis postea gratiam retulit (CORN. NEP.) — Ratio docet Deum esse; *quo* concessso, confitendum est eius consilio mundum administrari (CIC.) — *Quae* punica religione servata fides ab Hannibale est: atque in vincula omnes coniecit (TIT. LIV.) — Magistratibus opus est, sine *quorum* prudentia ac diligentia esse civitas non potest (CIC.) — Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt: *quos* legite, quaeso, studiose (CIC.) — Eucratides Fudiam in potestatem redegit: *unde* quum se recipere, a filio interficitur; *qui*, non dissimulato parricidio, corpus abiici insepultum iussit (IUST.) — *Quae* contumelia non fregit eum, sed erexit (CORN. NEP.) — *Quem* rerum Romanorum auctorem laudare possum religiosissimum (CIC., Brut., XI, 44) — Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur; *qui* primo quum obsistere ac defendere conarentur, male multati clavis ac fustibus repelluntur (CIC., Sign., XLIII, 94) — Habemus huiusmodi senatus consultum, verum inclusum in tabulis: *quo* ex senatus consulto con-

festim te interfictum esse convenit (CIC., Cat., I, 2, 4) — Obiecta est Asia: *quae* ab hoc non ad voluptatem expedita est, sed in militari labore peragrata (CIC., Mur., 5, 11) — Res loquitur, iudices, ipsa: *quae* semper valet plurimum (CIC., Mil., 20).

c) Usus relativi copulativi maxime est elegantiae quoties alterum relativum vel coniunctiones subordinantes «*quum*, *ubi*, *ut*» et aliae proxime sequuntur.

**EXEMPLA:** Haec tibi ridicula videntur: non enim ades; *quae* si videres, lacrimas non teneres (CIC.) — Est in manibus Q. Maximi laudatio: *quam* *quum* legimus, quem philosophum non contemnimus? (CIC.) — Pater Themistocles Neocles uxorem Acarnana civem duxit, ex qua natus est Themistocles. *Qui*, *quum* minus esset probatus parentibus, a patre exheredatus est (CORN. NEP.) — Periculosam fecit medicinam lupo. Pro *quo* *quum* pactum flagitaret praemium (PHAEDR., I, 8, 10) — Adest Phylarchus Haluntinus, qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus a praedonibus et captus est; cui calamitas saluti fuit: *qui* nisi captus a piratis esset in hunc praedonem sociorum incidisset (CIC., Suppl., XLVI, 121) — Ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur: *qui* *quo die* a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est, quantam vix ex summa ubertate agrorum diurna pax efficere potuisse (CIC.) — Toti urbi subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus, iidemque gladios in rem publicam destrictos retudimus. *Quae* *quoniam* in senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me, vobis exponam breviter (CIC., Cat., III, 1, 2 et 3) — Quae sivit a Gallis quid sibi esset cum iis, quamobrem domum suam venissent. *Qui* *quum* illi breviter constanterque respondissent, tum ille subito, scelere demens, quanta conscientiae vis esset ostendit

(CIC., Cat., III, 5, 11) — Nihil a vobis nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo. *Quae* dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor (CIC., Cat., IV, 11, 23) — Venit Heracleam. *Quae* *quum* esset civitas aequissimo iure ac foedere,

adscribi se in eam civitatem voluit (CIC., Arch., 4, 6) — Themistocles, Neocles filius, erat Atheniensis. *Qui*, *quod* rem familiarem neglexerat, a patre exheredatus est (CORN. NEP.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

## VISIONES RURALES

### AESTAS

Aurae *quae* miti iamdudum vere tepebant,  
undique et halantes variato flore recenti  
leniter afflato mulcebant pectora odoro,  
nunc siccis torrent Canis fervoribus ustae,  
hesternusque tepor fit protinus aestus anhelus.  
Cernere vere novo poteras turgescere gemmas,  
et decorata novis laetari floribus arva,  
frondere et silvas, et multicoloribus alta  
exornari albis roseisque arbusta corollis.  
At nunc heu nimium gravis est mortalibus aestus;  
attamen hoc segetes maturant, flavet arista,  
hoc poma incurvant crescentia pondere ramos,  
cuncta viginti aestu, et caeli sunt aucta calore.  
Femella agrorum *quae* nondum est apta labori,  
duris decarpit nigrantia mora rubetis,  
vimitneisque locat, *quae* texerat ipsa, canistris.  
Abstineas, femella, precor, devellere mora;  
nam *quae* nigra vides nunc, heu prius alba  
[fuere, et gemino iuvenum maculata cruento nigrescunt;  
Piramus alter amans erat, atque erat altera  
[Thisbe; parce tuas temerare manus nunc sanguine  
[amantium, plurima corna rubent, manibus tu collige ple  
[nis... Rustica sed soboles infaustos nescit amores,  
et vix occiduas caelo sol vergit ad undas  
plena canistra ferens laevo suspensa lacerto,  
notum carpit iter, parva comitata sorore,  
moraque iam matura gulosa vendit in urbe,  
atque domum aera refert, pretiumque et causa  
[laboris. Flavent camporum maturis aequora aristis.

sistunt, se inspiciunt, mussant, graviora trahuntque pondera; frumentum condunt brucosque sub imis cellis quas, memores hyemis, pedibus, manib[us]que effodiunt, terrae cratera minuscula formant electae, atque illuc late horrea plena, domosque invenies ubi, quaeque prius provvisa, reponunt omnia, progeniem quoque, parva atque ova foventes. Et nisi confestim agricolae granaria replent, formica et passer breviter populantur acervum. Interdum medio iam sole micante sereno caelo, cessat opus; messor patulaque sub umbra est; sudorem tergit, defessos recreat artus. Ast operis renovatur onus, cantusque per auras messorum resonat lassus, namque ingruit aestus, incurvae et falces ardenti sole coruscant. En subito insurgit clamor confusus, et omnes accurrunt, gemitus quo mestas percudit aures. Messorem inveniunt resupinum, ac ore reverso, lumina versantem simul atque animam exhalantem; huic operis comitum iam circum lata corona, ut valet, addit opem, pavesfactaque pectora monstrat. Est qui rescissis vicina ex arbore ramis auras in vultus agitat, vestesque relaxat; est qui fontis aqua combusta refrigerat ora, ulnis extollunt alii, ducuntque sub umbra. Heu! cum sol duri messoris tempora telo traicit indevitato, tunc membra fluentem sudorem effundunt, fessos tremor occupat artus; caligant oculi, lingua et torpescit in ore. Concidit, at falcem digitis morientibus arctam non linquit, dextramque agitat de more metentum; ictus dat gemitum, vitamque relinquit in agris. Hic num perfectis terrae quos debuit annis, tempora iam sua complevit? Messoribus adest heu nimium dura est! Patiens erat ille laboris, quem imo fatigatum fertur geminasse metendo, ut matri, ut sponsae, natisque alimenta pararet: non ita fata sinunt; flavos dum demetit agros cogitum heu propriam — utque suis det — perdere vitam!

Quid faciant nati, heu frustra redditum expectantes? Coniux, quidve movens albentia tempora matiter? At labor instat, opus iam nunc renovate coloni, magnanimumque Ducem veterem celebrate colonum. Praesidet his rebus, vestros tutatur et agros, vos, vestramque domum, natos, matremque patremque sublevat; italicu[m] renovato iure colonos protegit, agricolis humanis legibus arcet pauperiem et vestro dat praemia iusta labori. Vos facilemque habuisse Ducem, meminisse iuvabit, gratosque illi animos servare et pectora grata. «Magna nunc magno veniet tritura calore». Area in extensi medio est planissima campi; machina ibi ignivoma, interno quae concita motu est, accipit innumeros tritici segetumque maniplos, atque leves paleas seiungit stramine longo, flavaque exemptum frumentum cortice reddit. Et si dum tostas aesta teret area fruges lentus praecipitan[us] imber madefacit aristas, siccaque grana crepant, et adhuc lactentia turgent, laetitiaque domum replent. Tum femina frugi laetatur primo panem fecisse recenti frumento, et socrui donat, quae lumina caelo extollit, gratesque Deo fert, oscula pani infigit tremula, et pueros post dividit inter, qui cruce se signant, pani dant oscula, edunt que) at nati exspectat redditum ipsa, nurusque mariti; cuncta domus gratum interea diffundit odorem. Tarda tepensque cadit nox, et iam cuncta nigrum paullatim, tota en iam vallis in umbra est; ultima lux brevis abruptos violacea tingit montes et frigidus iam temperat aera vesper. Invitat querulus somnum nunc carpere grillus, eiulat et canis latrans e sepe remota. Nocturnae ingentes ex arbore papilio descendunt, alis feralem atramque figuram gestantes — tacuit iam sole insana cicada — et non visa volant, tractimque cicendula lucent. At quid papilio, quid parva cicendula monstrant? «Vita duas inter tenebras brevis emicat ignis,

alvo prima fuit tenebra atque erit altera busto: et nox adventat somno, qui mortis imago est, inque dies morimur, namque in vita insita mors est». Visisse atque animo certa haec tenuisse iuvabit.

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

## DEAMBULATIONES ROMANAЕ

### Rus Burghesianum.

Decimo septimo renidente saeculo. superiori enormi illa eruditione et multiplici imbuto, ditiorum cultiorumque virorum cupidio quaedam invaserat animos, qua aedificia excitarent agrosque iucundissimos aderent, ut in ea carissimos et familiares suos accersirent, conviviis oblectarent, eruditis sermonibus provocarent, doctrinaque colloquentium uterentur; in agros autem, quos verius hortos et viridaria dixerim, vel certis diebus, vel quotidie populus pro luctu conveniret, ut recrearetur amoenitate locorum, monumentorum adspectu, quae undique collecta, pulchro illic ordine, et veluti agmine et acie, disponebantur, peritis adlaborantibus architectis, doctissimisque viris loca opportuniora et congruentiora designantibus ac statuentibus. Sic illi mutuo sermone doctiores laetioresque iuxta dominum, sic populus tot simulacrum adspectu, nomine, tot antiquorum temporum reliquias docebatur. Atque ego credo non mediocres has fuisse causas restauratae humanitatis et optimae indolis italicae in gentibus nostris. Assuescebat quippe oculi, et mens una cum oculis assuescebat per optima optimis artibus, assuescebat non minibus priscis, celebritati ac decori priscorum dierum, et semet adhuc esse populum late regem, dum stare illis circumspiciens, vel dum deambularet, liberrime sentiebat. Quid si plauderet gratus magna-

nimo, qui tot ac tam bella praeparaverat? Quid si crederet reges ipsos, non minus quam plebs, inde gaudium et iucunditatem habituros? Quae igitur populis dona vindenda dabantur, quamdam vel in ipso regiam dignitatem adstruebant; dignitatem, inquam, cuius conscius ad ea, quae regibus digna essent, regesque decerent acta, facinora quoque se compararet.

Atque huius animi in divitibus et sapientibus causa reponenda mihi videtur, non in vitiosa quadam ambitione et luxuria, non in fastu quodam aemulatore meliorum, sed in illa lectione (sic tempus erat) assidue operum, quas nobis aureae aetatis Augustae scriptores reliquerunt. Nonne illuc Hortensianaе villae ad Baulos, Lucullianaе ad Misenum, ad Neapolitanum, ad Tuscanum, Tullianaе ad Pompeianum, ad Formianum, ad Tuscanum pariter, Luculliano proximum, ad Lirim? Quid de Horatiano in Sabinis? Quid de Tiburtinis vilis Metellianis, Cassianis, Lolianis, Horatianis, Cornelianis, et huiusmodi? Atqui convenientibus illuc doctis Musae fabantur, philosophia scrutabatur feliciter ac decernebat, artes omnes optimae sublimi caelum vertice attingebant.

Hac arte igitur, hoc instinctu, talibusque perspectis, Tiburtinum Estense, Astallianum apud Empulum non longe a Tibure, ad Sambuculum vicum, Borgianum-Gericomion, sub Afflano in occidentem, Caprarolense Farnesianum, prodigo quodam assurgunt, dum vel prope Urbem, vel in Urbe Pamphilianaе deliciae, Albanae, Montaltianaе, Mediceae, Vaticanae, Burghesianaе, facientibus litteris, excitantur. De Tiburtino Estensi olim in hoc Comentario diximus;<sup>1</sup> de Romano hoc, cui ab auctoribus Burghesiis nomen, celebritate percrebrens, operaе pretium est dicere tum quia praeclara habet, quae alibi frustra

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Aug. et Sept. MCMXXXVI.

desiderantur, tum quia, in potestate quod antea ex humanitate aedificatorum et in usu Populo Romano fuerat, nunc in iure proprietatis factum est; tertio denique quia pulchre cognoscitur quibus modis et quo viro ceperit, quibus creverit, proximis, cum Horatio loquor, angulis accidentibus.

\*\*\*

Scipio Cardinalis Burghesius, Pauli V Pontificis nepos, postquam plurima Urbis templa operosae architecturae fronte exornavit, in eam venit mentem, ut suburbanam quoque sibi villam conderet, quae magnifica indoli sua responderet. Itaque praedium, quod ante Pincianam portam a Ioanne Baptista Burghesio habebat, amplificavit et auxit, addita huic vinea, quam a Thoma D'Avalos, Aquini dynasta, dono accepit anno MDCVIII, die Aprilis mensis nono et vigesimo; comparata insuper vinea ab haeredibus Cerrini pretio scutatorum 2320, latius redditus vigesimo octavo Iunii mensis die anno eodem; mox die xxvi Septembris vineam ad fines a fratribus Ceoli emit scutatorum tribus milibus et quingentis datis. Sequenti anno Paulus V nepoti vineam Pincianam, a relictis Episcopi Papiensis Wilhelmi Bastonii obvenientem, donat, donatque eidem anno MDCXI quadraginta uncias aquae e flumine fontis Felicis in Urbe.

Iamque crescit fundus novis additis agris, vineis, hortis, quae omnia adquirit pretio Scipio noster anno MDCXV a Marco-Antonio Burghesio, mense Octobri; mense eiusdem anni Decembri ab Octavio Gratiani; anno MDCXVI a familia Piscini, anno MDCXVIII a Ioanne Maria Pietrogiamomo. Sic ab heredibus Mariae de Parma; sic a Benedicto Martinianio; sic emit passim; ita ut fundus ille deliciosus contineatur iam ambitu metrorum 4500, et ultra.

Nec quaerenda, vel enumeranda putes omnia, quae includit. Illic Martinus Longhi senior desudat in fronte et aditu con-

dendo, illic Berninus fontem, quae a marinis nuncupatur equis; illic sunt aedificia Vasantii, illic lacus, delubra Aesculapii ad lacum; illic Antonini et Faustinae templum ad fidem redditum instar prisci, quod in Romano Foro est; illic marmoreae transennae et claustra inextimabili pretio notata; illic nemora, luci, recessus, labirynthi, mirtheta, pineta, quercta, iliceta, viaeque umbrosae, solitariae fontes, plateae, cuiusmodi illa, quae Senarum nomine gaudet ad amphitheatri disciplinam perfecta; loca illic sylvosa et abdita, caveis cavernisque ad quadrupedes continendos dictata, quos venatu excitare et confidere venabulo liceret; illic musea; illic statuae passim, simulacra, columnae, sarcophagi, urnae. Quidquid optas, et quidquid non speras, repente coram sunt, atque omnia eo loco et ritu disposita, ut quod ultra est aëris liberi, quod conclusum collibus, quod patens in campos, quod in cadentem solem conversum, quod in Urbis moenia, quod in Tiberinas vias, harmonicum unum habeant simul, una conspirent ut sint deliciae oculis, menti quies, voluptas denique ex concordia rerum, equidem variarum, sed optime coniurantium.

Pauca sunt, quae stylo assequare, plurima, quae superent dicendi et scribendi vim omnem et artem. Describesne obsitum, aestivis diebus, virentibus ramis et frondibus caelum densis, solum herba molli floribusque pictum, inter ventilantes suaviter auras, murmurantes per pratum rivos leni susurro, dum hic loquaces fontes ab humo inter marmorea nympharum signa exsiliunt, illic inter mirtheta abditus crepante pede fons per clivum festinat, et saltu in lacum procumbit? Describesne vias sub ilicibus et queribus, quo visus valet, quasi progredientes, fugientes, hic illic habitas a repentinis Faunis et Sylvanis lapideis quasi ad truncos abditis, vel a marmoreis belluis horrendis rictu, vel a draconibus, vel a signis?... Omne genus cogita, quod

mens audax, perita manus, sapientia architecti distribuit, prouti Musis luberet, suaderet Minerva, Phoebus probaret.

Atque haec omnia ita erant, ut Populo Romano, exteris, urbanitatis lege servata, frui liceret; atque ita illic festi celebrati dies, equestres ludi saepius instructi, iterati, aërovagi in cælum dimissi, artificiis ignibus machinae incensae, luctae, cursus, et spectacula quaevis. At nihil mortalibus aeternum est. Fatis Burghesiana domus recens premebatur adversis, et Burghesiana villa sub hasta venum danda erat. Ornamenta partim situ squallebant, partim incuria peribant; arbores radebantur... Dolor et stupor Romanos invaserat animos tot pulcherrimis assuetos. Sed opportune ac feliciter erecta a Vindeliciis minantibus manibus est, et Urbi donata, ut nomen Humberti regis illius ferat, nefarie heu! interempto, Quiritium generationibus memorandum.

P. d. V.

## MEDICAE NOTAE

### De crisi et diebus criticis.<sup>1</sup>

Causa materialis in crisi est humor malignus, sive salia alia et corrosiva, quae irritando glandulas sui excretionem vel translationem promovent. Neque tantopere mirari debemus, si ex irritatione, ab acri aliquo humore facta, tantas in oeconomia animali videamus excitari turbas, quippe debemus corpus humanum ut machinam quamdam, incredibili arte fabricatam, spectare, cuius partes dissitae una etiam effectae in consensem facile trahuntur. Sicut enim chalybis elaterium, a sclopeto avulsum, manibus contrectamus, nec insoliti quid aut magni inde metuimus; verum ubi

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

cum aliis partibus, quae ad bombardile pertinent, aptatur, si id vel digito moveris, subitus statim ignis tuos perfringet oculos, et ingens sonitus aures tuas percellet, et emissus globus magno cum impetu erumpit; ita eadem fere ratione si partes corporis non separatim, sed ut simul aliae aliis aptae et connexae sunt, inspiciantur, non poterunt non maximam inter se habere consensionem. Profecto si lucidi corporis aspectus sternutationem, qua totum etiam corpus concutitur, efficit; si illi, qui ex editiori loco terram intuentur, vix apud se sunt, sed veluti vertigine correpti nutant; si agitati maris aspectus vomitum ciet; si titillatio totum corpus tam vehementer exagit; si hystericas mulieres vel suavissimi odores conturbant; si perturbationes animi tantas in nostris corporibus edunt strages; si favor repentinus epilepsiam et paralysin inducere potest, quis, quae, dubitabit quod humores maligni, sive salia illa acria et corrosiva glandulosum corporis nostri contextum ad excretionem irritare possint, quibus foras eliminatis tota massa sanguinea priori reddatur nitor?

\*\*\*

Crisis est vel *perfecta*, vel *imperfecta*. Perfecta, quae scilicet morbum omnino indicat, est salutaris vel lethalis. Salutaris postquam signa coctionis apparuerunt et consuetus aether iam de peregrino triumphum agit; secus altera.

Imperfecta iterum duplex est, vel ad melius, vel ad deterius; ad melius si aeger post talem subitam mutationem morbum alacrius ferat; ad deterius, si contrarium contingat.

Fundamentum harum differentiarum consistit in robore vel imbecillitate aetheris consueti; in sanguinis visciditate, et salium combinatione; in tubulorum obstructione et pororum diversitate.

Fit crisis per manifestam aliquam excretionem, quando salia illa maligna per vias

publicas excernuntur, vel per metastasis et transpositionem, quando ad partem aliquam solidam, sive internam, sive externam transferuntur, ibidemque detenta tumorem constitunt; qui ad melius erit si in parte ignobiliori haereat, nec cito disperat; lethalis autem, vel ad peius, si locus sit nobilior et cordi vicinior.

Dies illi, in quibus eiusmodi mutationes contingunt, vocantur *dies critici* et septenarius circuitu definiuntur, quales sunt 7, 14, 21, 28, 34, 40. His adduntur *indicantes*, qui futuram illis in diebus crisin indicant, et quaternarius circuitu definiuntur, suntque 4, 11, 17, 24. Sunt praeter hos alii, quos *provocatorios* vocant, in quibus vel ob insueti aetheris copiam, vel ob errores in victus vel remediorum regimine commissos, intempestive excretiones instituuntur, quales in variolis maxima cum aegrotantium clade contingere solent. Dies *vacui*, in quibus nunquam salutares fiunt crises, sunt 6, 10, 12, 16, 18.

Attendendum autem potissimum ad *signa coctionis* in urina et sputo apparentia. Salutaris enim et perfecta crisis nunquam ante statum accedit; hinc si primo statim die signa coctionis apparuerint, die quarto speranda est crisis; sin quarto die eiusmodi signo observentur, morbus nono aut undecimo die terminabitur. Cognoscimus autem instantem crisin ex insolita novitate novisque productis, qualia sunt inquietudo, anxietas, etc. Nam quibus crisis fit, his nox (vel dies) gravis ante accessionem.

Deinde perpendenda sunt signa, quae modum criseos, an videlicet per ascessum, an per excretionem et per quam viam haec futura sit indicant. Ubi morbi indoles, aegri natura, aetas, regio, victus antecedens, sanguinis motus et orgasmus aliaque consideranda veniunt. Quamvis enim pluribus in oris crises perfectae salutares rarius contingant; dum e contra lethales perfectae, quales in febribus malignis epidemice grassantibus, sunt sudores, tumor

faciei, eiusdemque rubor, diarraea, maculae et exanthemata frequentius observantur, negari tamen nequit, salutares subinde crises per haemorrhagias, diarrhoeam, sudorem aut salvationem in febribus malignis et variolis fieri, ut vel propterea haec, quae de crisi scripsimus, digna sint, quae a tyronibus attente legantur et relegantur.

WALDSCHMIDT.

## SPECIMINA POËSEOS BOHEMICAЕ LATINIS VERSIBUS REDDITA

Jaroslav Vrchlický (1853-1912)

### I

#### CARMINA SUNT COMMUNE SEPULCRUM

O philomela, cui per noctes percitus Hafis aures præbebat, nunc ubi dulce canis?  
O rosa, quam supra stabat mysteria Dante  
volvens mente, tuus nunc ubi fragrat odor?  
Astrum mite, iubar cuius de carcere cernens  
cantu plorabat Tassius illacrimans,  
quo nunc terrarum cessisti, sidus amicum?  
Caerulei caeli quā regione nites?  
O cor, de flammâ textum, de vite rosâque,  
Sapphonis divae molle cor atque pium,  
quo tamquam fidibus plectrum cantabat Amo-

[ris,

multiplici motu nunc salias ubi, dic!  
Felix unda, pedes Herūs quae blanda lavabas,  
oscula Leandros queis dare suetus erat,  
attigerat fessus nando cum litora Sestii,  
unda, maris — dic — quā nunc regione  
[fluas?

\* \* \*

Sunt in carminibus ceu busto cuncta sepulta:  
quidquid divinum est, carmine condit homo.  
Carmina sunt commune sepulcrum. Cui tamen  
ille  
ferre subinde solet flebilis inferias.

### II

#### ARGONAUTAE PROMETHEA VINCTUM PRAETERVEHUNTUR

Euxinum pontum navis diverberat Argo.  
Est nebulosa dies: sol petit Oceanum.  
Magnas ut volucres propellunt flumina nubes:  
caligant valles et juga celsa nigrant.  
Quae procul in gremio scopulorum surgit ima-

[go?

In tenebris solis fax rubet occidui,  
humanum corpus pennis Iovis ales obumbrat,  
ceu torrens illinc sanguis in ima ruit;  
saucia iactantur vehementi spasmate membra,  
frons — sulcata (viden?) fulmine — taetra

[riget.

, Omnia iam cedunt: suspiria sed mare miscent,  
dum raucis ventis aequora mota gemunt.  
Graūm nautarum quivis silet anxius atque  
artius involvit pectora palliolo.

FR. PALATA.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XXXIV

#### Ludus turbinis.

CAROLUS, LEONARDUS, FORTUNATUS.

CAROLUS. — E buxo est meus turbo.  
LEONARDUS. — Meus e cornu.

FORTUNATUS. — Et meus est corneus.  
Aspice, sultis, quam niteat præ nigrore,  
quam bene fastigatus excavatusque sit.  
Nec est grandis nimium qui laborioso fla-  
gello agitaretur; nec nimis parvus, qui sal-  
titaret immodice et amitteretur facile.

CAR. — Vis commutemus?

FORT. — Qui tibi hoc cogitare libet?  
Tuus citius teretur quam meus, signum  
quippe mollius cornu.

LEON. — Meum hunc non laudo; iam se-  
metipse laudabit quum gyros describet cur-

<sup>1</sup>Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

rendo maximos, et paucis ac levissimis ictibus curret diutissime.

CAR. — Hoc solum est planissimum, proindeque huic lusui mire idoneum. Quod bene vertat, contorques meum pollice et medio digito.

LEON. — Ego soleo circumvolvere ter, quater corrigiam flagelli, circumvolutum humi ponere, bacillum impetu attrahere sursum. Tum ille liberatus vinculo, quasi in pedes se erigit, et strenue cursitat hoc modo.

FORT. — Ecce meum. Insta flagello: tuus languet, Carole; agit animam et tuus, Leonarde.

LEON. — Ut volitat meus!

FORT. — Ut amplissimos orbes conficit meus!

CAR. — En ut meus tuum ferit cum so-  
nitu, Fortunate; propemodum deiecerat!

FORT. — Feriet non vicissim brevi.

LEON. — Ah! mei flagelli virgula diffracta est.

CAR. — Certemus nos duo, Fortunate; iam plus spatii relicturn est, et turbines contra se mutuo impellamus.

FORT. — Sic agamus. Bone Deus, ut me fatigat meus! Et minutis tantum ictibus opus est. Scuticam probatissimam habeo, corrigiam optimam e pelle hircina et bifidam.

CAR. — Sudore diffluo; cessemus.

FERD. — Nondum ego sudo. Solus sum: validius agitabo meum. Vide, quaeso: horribiles saltus edit.

CAR. — Ero aliquandiu spectator tuus.

FERD. — Quo abiit Leonardus?

CAR. — Virgulam quaerit ad reparandam scuticam.

FERD. — Quare non iampridem hunc nobilem ludum exercuimus?

CAR. — Erit quum etiam hic displicebit.

FERD. — Nunquam, Carole.

CAR. — Quo pignore certas mecum? Sed redit Leonardus.

FERD. — Ego quoque lassus sum; spe-

ctabimus ambo Leonardum. — O Leonarde, tibi cedimus campum istum. Nunc te ostendes quantus vir sies.

LEON. — Tam cito fessi?

CAR. — Te deficiente — (deficies enim) — nos ludum iterabimus.

LEON. — Quid cras futurum sit iuxta vobiscum nescio. Hoc die quidem istud quod vos auguramini haud futurum est.

FERD. — Magnos nimis spiritus tibi in hoc artificio sumis.

## ANNALES

### Hispanicae res.

Infecta, uti in superiore eventuum hac nostra recensione diximus, re de compromisso feriendo circa agendi rationem de non interventu aliarum nationum in civili Hispanico bello, en aggressiones iteratae sunt contra naves exterarum gentium ad Hispaniae oras vigilantes; quumque Gallia auctrix fuisset de novo civitatum, quas Mediterraneanum mare alluit, conventu ad communes defensionis rationes capiendas res que agitaretur, Russia de aggressionibus per subaqueas lntres peractis Italianam accusat; quae igitur reclamans declarat se ad conventum eundem, nisi Russia omnino exclusa fuerit, non accessuram. Tum res deferenda proponitur peritis navalibus Angliae, Galliae, Italiae; quae, contra, non immerito, aequa iuria sibi cum ceterorum adfirmans, huius propositi, nisi ea praestita fuerint, participem se esse recusat.

Dum ita per orbem consulitur, S. Andreae Portus (Santander) post Burgum in Hispania a « Nationalistis » expugnatur magna cum « Communistarum » caede, quorum gubernium aliam publicam offensionem passum est: negata enim ei sunt suffragia, quum Societatis Nationum supremum Consilium renovatum est.

\*\*\*

### Iaponiam inter et Sinas discrimen.

Quamquam inter Iaponiam et Sinas bellum non declaratum est, tamen inter duas partes summa vi pugnatur. De Shanghai in portu, Sinensis aggressio contra bellicas Iaponiorum naves causa fuit ut urbs navalibus aëreisque tormentis verberatur graviterque pessum daretur a Iaponiis, qui ultra ad Nanchinum processere. Sinenses ad Nationum Societatem provocant, quae minime eventum cursum immutare valet, eo magis quod Iaponia iamdiu a Societate illa recessit. Quum autem vulgatum sit, Sinas cum Russia secretum auxiliū pactum inivisse, Iaponii ad actiones suas purgandas non solum defensionem sui populi, sed humanitatis se suscepisse affirmant.

\*\*\*

### Italici gubernii Praesidis itinera.

Itinera, quae Mussolini, Italici gubernii Praeses, in Siciliam primum, ac deinde in Germaniam suscepit, attentos universi orbis animos habuerunt, ob orationes praesertim, quae Panormi ac Berolini ipse esset dicturus: ambae autem certam pro pace actionem invocarunt, « axem Romanum-Berolinianum » ad rem confirmantes, quasi unionem Italorum et Germanorum ad socialem Europae ordinem restituendum, quam nemo frangere unquam poterit: quod quidem Hitlerus, Germanorum Praeses, vicissim sollemniter confirmavit.

POPLICOLA.

## VARIA

### Pater et Filius rusticus.

« Vide, — inquit Pater rusticus filio — et arvum nostrum accepto ligone perfodito, ut conservetur ». Filius egressus et se clam spatio arvo perfodiendo satis unum non

esse futurum secum cogitabat; itaque illum diem, desperato laboris processu quum humi se prostrasset, acquievit. Idem postero et tertio die fecit. Tum Pater opus inspecturus egreditur, et intactum adhuc arvum esse videns, de filio quid illis diebus egisset requirit. — « Nihil — inquit hic —; nam qui possim ego tantum arvum solus perfodere? » Pater, errore Filii intellecto: — « At tu — inquit — singulis diebus spatium pedum octo unum perfodito ». Quum filius obsequitus patri aliquot diebus octonus pedes absolvisset, arvi fodiendi spatium in dies minus relinqu animadvertis; itaque annus celeriter, totum illud, ut iussus fuerat, perfodit.

Fabula significat, difficultatem in aestimandis laboribus et opus faciendum potius, quam metiendum.

\*\*\*

### Populum Romanum in iudicando omnia extrema spectasse, non intermedia voluisse.<sup>1</sup>

Quod Livius inquit de populo Latino, eo devenisse illum, postquam bis cum Romanis proelio dimicasset, ut neque bellum neque pacem pati posset, id nos in genere observantes pronuntiare debemus atque existimare, eum miserrimum esse rerum statum, quum Princeps aut Respublica quaedam eo devenit, ut neque pacem ferre, neque bellum pati possit. Id vero tunc contingere solet, quum victis nimis durae pacis conditiones proponuntur, ut eas dolore permoti aspernentur; ad bellum autem tolerandum vires quum non habeant, ab iis auxilia implorare cogantur, in quorum protestatem mox venturi sint. Causae, quibus ad talem rerum statum adducimur, ex malis consiliis plerumque dependent, ut quum

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

bella suscipimus, aut alias res maiores, quam pro ratione nostrarum virium attentamus, nec vires nostras metimur. Id in Latinis apparuit, qui Romanorum pacta et pacis conditiones admisere tunc, quando non oportebat; bellum vero indixere, quum pacem conservare ac quaerere decebat, ut illis ex aequo pax atque bellum nocuerint. Vicerat illos primum Manlius Torquatus; eosdem postmodum F. Camillus et debellavit, et plane afflixit. Nam omnes eorum urbes occupavit, praesidiis muniti; reversusque in urbem Senatui nuntiavit universum Latium in populi Romani potestate esse. Quia autem memorabilis admodum et observatione digna est Senatus de populorum Latinorum tunc lata sententia, idcirco copiosius de illa hic disserendum putavi, ut in similibus casibus exemplum haberemus ad imitandum. Populus Romanus in decernendo nil medium apprehendit, semper ad extrema spectavit, quod ita temperandum censeret, ut subdit vel non possent nocere, vel non vellent. Nolunt autem tunc, quum beneficiis se affectis intelligunt, ita ut fortunam nullam suae proponant. De populo Latino Camillus ad Senatum his verbis tulit: « Dii immortales ita vos potentes huius consilii fecerunt, ut sit Latium an non sit in vestra manu posuerint. Ita pacem vobis quod ad Latinos attinet, parere in perpetuum vel saeviendo vel ignoscendo potestis. Vultis crudelius consulere in deditos victosque? Licet delere omne Latium. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam victos accipiend? Materia crescendi per summam gloriam suppetit. Certe id firmissimum imperium est, quod obedientes gaudent. Sed maturato opus est quidquid statuere placet, et illorum animos, dum exspectatione stupent, praecoccupare ». Haec quum consulta proposuisset, Senatus secundum eius sententiam de singulis Latii populi decrevit, pro cuiusque merito; ita tamen, ut nil mediocre hic fieret: omnia extrema sum-

maque essent. Quibusdam enim non modo pepererunt, sed eosdem etiam multis beneficiis affecerunt, civitate donarunt, et multa alia iuria ac privilegia concesserunt, ut nullam causam haberent vel rebellandi, vel alias, quocumque modo, res novas molliendi. Quibus parcere noluerunt, iis oppida diruerunt, et omnis generis poenas suppliciaque imposuerunt. Nam dirutis moenibus, eos agro spolarunt, depulerunt, atque dissiparunt, ut bellum amplius parare nulla ratione possent.

Hoc fuit Patrum de populo Latinorum iudicium omnibus sapientibus principibus et observandum et imitandum.

\*\*\*

### Pro iudicibus mensarum elegantesibus.

ESCARUM ORDO:

*Sorbitiuncula cum tuberibus odoratis.  
Piscium variorum artocreas.*

*Spinachia pineis nucibus zibeboque condita.*

*Pipones ad craticulam acti; acetaria.*

*Moretum, acidulorum cerasorum liquamine adpersum.*

\*\*\*

### locosa.

TUCCUS amico:

— Pignore contendam te nescium indicare quinque hebdomadis dies, quum eorum nomina non proferas.

— Equidem est impossible.

— Impossibile tibi, non Tuccio. Audi: nudius tertius, heri, hodie, cras, perindie.

Pater Tuccii filiolo novos emit calceos; eumque hortatur:

— Cura ut passu quo magis amplio gaudiaris: ita enim minus soleas consumes!

\*\*\*

### Aenigmata.

I

Vocalem produc! Regio sum tramitis expers.  
Corripe! Me merito nuptis honore colit.

II

Rex Latii Circes factus sum fraude volueris.  
Principium muta: grata tibi esca datur.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sta his respondent: 1) *Isocrates-Socrates*;  
2) *Panis-Canis*; 3) *Fons-Mons-Pons*.

### LIBRI DONO ACCEPTI

Bibliotheca Iuventutis fasc: I: *Dictionarium rerum recentissimarum seu modernarum Hungarico-Latinum*. Amatoribus linguae latinae dedicavit JOSEPHUS WAGNER Dr. (Stephaneum Budapest, 1937. — Venit 2,40 p.).

*In veste latina*. I Decem ballade Goethei et Schilleri in latinum versae ab OTTONE SCHMIED. — II Duodecim ballade Uhlandii aliorum in latinum versae ab eodem. (Oesterreichischer Bundesverlag für Unterricht, Wissenschaft und Kunst Wien und Leipzig, 1937).

SYLVIUS ROMANI, *De ignorantia legis* (Excerptum ex Actis Congressus Iuridici Internationalis Romae habiti mense Novembri 1934. — Romae, apud Custodiam librariam Pont. Instituti utriusque iuris, 1937).

ANTONINO DISTEFANO, *Ricreazioni di latino*, 2<sup>a</sup> edizione ampliata (Torino, Società Editrice Internazionale. — Ven. lib. 6).

ANACLETUS TRAZZI, *Augustalia*, Poemation a Regia Academia Italica praemio ornatum. (Typis Seminarii Patavini Gregoriana edidit anno MCMXXXVII. — Ven. lib. 10).

### IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## REGULUS

[19]

### ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Ideo misi tibi ultimum per nuntium.

Meus hostis coagit me tecum colloquier.

Reputa tecum, Atilia, hostis per adspectum tuom

Servom med esse subiectum et humilem monere volt.

AT. Ut istuc ne faciat, iam abibo, eheu! — BO. Atilia!

AT. Quin tu taces? Saltem liberis a te feram salutem, Regule

RE. Quom iam mihi morienti oculi nataverint,

De vobis cogitabo. — AT. Illi obmutuere amaritudine,

Sed iste nuntius obruet illos lacrumis;

Non possum, non licet, ut valeas, tibi dicere.

Quasi mucronatus meum cor transfigit pugio;

Quibus ego verbis meos dolores exprimam?

RE. Pro patria moriar; tu me debes beatum dicere.

AT. Istuc eloqui non possum, me feminam esse sentio.

RE. Atilia, in vita beatiore inter nos videbimus.

AT. Istuc benest. — RE. Filum vitae cito devolvitur.

AT. Citissime; hoc addit vires mihi. Sed ibo nunciam.

RE. Atilia! — AT. Tuos me animus inclamat. Audio.

RE. Tibi videtur esse certum. — AT. Non videor, sed hercle sum.

RE. Mane dum paulisper, si sum tibi solacio.

Veni proprius, tu femina magnanima et miserruma.

AT. Erectus exspectatione animus mihi tremit,

Tua enim labra, quibus olim tam lubenter adhaeseram,

Debent mihi capitisi sententiam ipsa dicere.

Edice tu sententiam: istuc ex temet audire volo;

Eloquere. Dedetne captivos senatus hostibus?

RE. Cunctanter atque segniter meum sequitur consilium.

AT. Rebitesne tu? — RE. Itast. — AT. Per te factum decretum istuc est?

RE. Per me. — AT. Itaque ego mater orborum a te desolata ero.

Istunc animi sensum explicare non quo.

RE. Edepol decori est mulieri, si querelis temperat.

AT. Iam cessabunt querelae. Sed vae nostris gnatis innoxii!

Etiamne nunc de eis cogitas? Frigus artus percurrit meos.

Talis ante penatis labra orborum lurida

Querelas egerunt: « Noster suam sibi mortem pater

Concinnavit; iam non volt esse nobis pater ».

RE. Ne me dicant patrem, si non Romana consuetudine